

Letter 504: 22 March 1533, [Strasbourg], Capito to Johannes Schwebel

Printed in *Centuria epistolarum theologiarum ad Ioh. Schwebelium* (Zweibrücken, 1597), pp. 174–177, no. 57.

Wolfgangus Capito Iohanni Schwebelio, viro pio, ecclesiae Bipontinae pastori, tanquam fratri observando.

Gratiam et pacem. Bucerus de Hecthlyno et adiutore tibi adiungendo scripsit: Pauca haec addo ut intelligas rem non oscitanter cogitatam et excussam nobis. Primum gratulamur ecclesiae talem pastorem, hoc est, laborem, qui tuleris iam episcopi et inspectoris titulum, teque ferre non sine magno ecclesiarum Christi commodo. Tanta es fide et diligentia praeditus moderataque et alacri providentia. Videtur autem nobis, quod adiutore fido opus est et Conradum Pellarbam vobis obstrinxistis ut eum nansciscamini. Iuvenem apprime doctum iuxta et pium, summa modestia parique fide ad servandam ecclesiarum consensum. In tribus linguis non parvum usum habet. Theologus est, non poenitendus citraque pertinaciam, constans. Sed et mihi videtur, iam ei omnem auditionem, qua fere nobiscum adobruitur magis profore. Haberes in eo literarum comitem et fidum in functione ecclesiastica symmystam. Verum Hechtlyno maior est rerum usus et qui totus in ordinem ecclesiasticum revocandum votis propendet. Utpote doctus usu quae pericula ardelionum irritent. Atqui a te Conradus dependeret, sicut et hic pendeat non dubie, quo fieret, ut ex te omnia certo promanarent. Obest unum, tenuitas stipendii, quod si decem tantum aurei accederent, putaret initio stipendium fore tolerabile. Hic ei dantur supra octoginta aureos, sed omnia istic vilis, quam apud nos venduntur. Vereor enim senatum aegre permissurum, ut Hechtlynus abeat ad vos, si Conradum adhuc obnoxium tenueritis. Onerabitur hoc pacto ecclesia nostra neque vestra multum adiuvabitur. Sed et iuveni ipsi permolestum erit ita pendere. De sacramentis non dubito synceriter sentire nos utrinque, quod utrique Christum potius praedicamus, tam symbolis quam verbis, cuius divina gratia sola purgat animas. Vale. 22 Martii anno 1533.